



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola V. Gregorii Papae I. Ad Candidvm Episcopvm De Vrbe Veteri.  
Aegrotis quae ab ecclesia consueta perceperunt neganda non esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

nostrum iudicium flagitent, vt subleuati de minimis, in causis maioribus efficacius occupemur. Quas videlicet vi-  
ces non loco, sed persona tribuimus: quia ex transacta in  
te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conuer-  
satione præsumamus.

*Mense Decembri, indictione decima.*

EPISTOLA V.

GREGORII PAPÆ I.

AD CANDIDVM EPISCOPVM DE VRBE VETERI.

Ægrotis quæ ab ecclesia consueta percepérunt  
neganda non esse.

*Gregorius Candido episcopo de Urbe veteri.*

**C**VM percussio corporalis imminet, vtrum pro purga-  
tione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc iudicium  
ignoratur: & ideo non debet a nobis addi flagellatis affli-  
ctio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia  
præsentium lator Calumniosus pro hac percussione quam  
sustinet consueta sibi commoda ab ecclesia vestra afferit  
negari, idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur  
epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quæ consueta  
sunt hæc ægritudo debeat impedire: quia diuersis in eccle-  
sia militantibus, varia, sicut nosti, sæpe cōtingit infirmitas.  
Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cetero qui  
ecclesiæ militet poterit inueniri: sed secundū loci eius or-  
dinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa  
exiguitate, quæ ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua di-  
uini contemplatione iudicii ægrotanti præbere non des-  
nat, quatenus in huius rei administratione ad eleemosynā  
potius videaris quæ sunt consueta exoluendo conuertere.

EPISTOLA VI.

GREGORII PAPÆ I.

AD NEAPOLITANOS.

Deeligendo Paulo episcopo.

*Gregorius ordini & plebi consumenti Neapoli.*

**Q**VALE de Paulo fratre & coepiscopo nostro habeat  
caritas vestra iudicium, directa a vobis relatio pa-

*Concil. Tom. 13.*

Hh ij